USUS E VERSU XVI.

(1) De populo Dei *peculiari, Iſraele, ſeu de* eccleſiâ V. T. *vide in LL.*

(2) Redemtio *non eſt unius generis: quandoque fit per potentiam ſive* brachium Dei, *ut h. l. quandoq; per ſoluto lytro, velut in* Redemtione generis humani.

(3) *Dantur inter homines diverſi dignitatum gradus, v. g.* Joſeph *cum poſteris præfertur ſoliusque nominatur inter* Jacobi filios, *cum tamen Dan, Aſer reliquique non minus, quam Joſeph, agnoverint hunc unum parentem. Huc illud* Rom. XI, 10. ſeqq.

USUS E VERSU XVII.

(1) Maris rubri *tranſitum tanto populo præbentis, hoſtesque ſuffocantis obſequium, & fidem noſtram roborare debet de Dei robore hodieque adhuc tali, reverentiam quoque ſimul excitare, ne ſubtrahamus nos torpeſcamusve, mandante Domino, &c.*

(2) Aquæ *dicuntur* vidiſſe *per proſopop. Potius igitur nos homines, ratione ac ſenſibus prædiri,* videre *vel concludere debemus præſentiam Dei, tum communem, tum gratioſam, &c.*

(3) Timor *eſt vel ſervilis, vel filialis.* v. præc. l.

(4) Abyſſorum commotio *confirmat innumerabilem viarum Dei multitudinem, per quas traducere poteſt ſalvandos. Quis de* abyſſis *tunc cogitaſſet retegendis? vid.* Pſ. CXIV, 3. 5. Exod. XIV, 21. ſeqq.

USUS E VERSU XVIII.

(1) Aquarum in nubibus *theſaurus & ſolatium præbere, & metum incutere poteſt hominibus, modo attendant plenius. De* Imbribus pluviæque *diſtinctis ſpeciebus in phyſicis. Ibidem*

(2) *De* Tonitru, *nec non*

(3) de Fulminibus.

USUS E VERSU XIX.

(1) *De Turbinibus ventorumque viribus docebunt phyſici atque hiſtorici. item.*

(2) *de* Fulguribus.

(3) Terræ motus *magnos incutere poſſunt horrores, cum nuſpiam tutus ſupereſt conſiſtendi locus: quæ infra nos, dehiſcunt, quæ juxta nos, conquaſſata corruunt; quæ ſupra nos, [v. g. fulgura ac fulmina,] inopinato ac promiſcue proſternunt. O homo, annon metues horum in cœlis moderatorem Deum?*

USUS E VERSU XX.

(1) *Nulla creatura (adeoque nec* Mare,) *præſentiâ caret ſui Creatoris:* Via ejus *ubivis: pro lubitu diſponit omnia. Nullibi igitur fidelis debet metuere.* Pſ. XXVII, 1. ſeqq. XLVI, 3. &c.

(2) Fluvii *ingentes, qualis Jordanis, Danubius, Rhenus, &c. ſubſunt hiſce Dei veſtigiis, hic facit creſcere, decreſcere; fœcundat, &c.*

(3) *Stuporem hominum,* veſtigia Dei non rectè æſtimantium *mirè Satan adauget, avocando ad alia minus utilia, extenuando divina, &c.*

USUS E VERSU XXI.

(1) *DEus eſt* Dux populi ſui *benignus, providus, potens &c.*

(2) Paſtoris gregiſque *imago probè illuſtrant hanc doctrinam.*

(3) *Uti ur Deus hominum,* Moſis atque Aharonis, *miniſterio, ut ſimul hominum fidem exploret, minusque horroris incutiat mortalibus.*

(4) *De reverentiâ* Miniſterio eccleſiaſticô *debitâ,* Ebr. XIII, 17. &c.

PSALMI LXXVIII. DISPOSITIO.

Liber antiquitatum. Hiſtoria Exodi.

ATtendendum hic I. Exordium; ubi (1) attentionis poſtulatio: *audi, popule mi, doctrinam meam:* v. 1. (2) ratio: *aperiam os meum in parabolâ; profundam ænigmata antiqua.* v. 2. eaque *certa, à patribus tradita.* v. 3. poſteritati *commendanda.* v. 4. continentia *Dei laudes, robur ac mirabilia perpetrata.* ibid.

II. Narratio de (1) *lege* concredita patribus, (a) *ut propagarent eam ad poſteros.* v. 5. 6. (b) finis & effectus: ut partim *in Deum ponant fiduciam,* v. 7. partim *operum divin. recordentur jugiter,* partim *mandata obſervent.* ibid. partim *rebellionem ac inconſtantiam majorum ſuorum devitent.* v. 8. (2) De populi ingratitudine, partim abſolutè, v. 8. partim comparatè cum Ephraimitis, qui armis exercitiisque bellicis confiſi gloriabantur quidem multum, ſed *in die conflictus terga vertebant turpiter.* v. 9. Prolixius autem deſcribitur hæc populi ingratitudo (α) à *fœderis neglectu.* v. 10. (β) *legis vilipendiô.* ibid. (γ) *operum divinorum mirabiliumque oblivione.* v. 11. quæ Deus ſcilicet oſtendit tum *in Ægyptô;* v. 12. tum *in mari rubrô;* v. 13. tum in deſertô per *nubis ductum.* v. 14. per *copioſam aquæ è petrâ præbitionem.* v. 15. 16. (δ) *rebellionis renovatione* v. 17. (ε) *cibi carnei poſtulatione.* v. 18. 19. 20. (3) De ſevera punitione: *igne ſc. iræ exardeſcente;* v. 21. ob *incredulitatem & diffidentiam.* v. 22. (4) de Miraculoſa nova cibatione: *depluente ſc. mannâ.* v. 24. 25. nec non *adductis volucribus.* v. 26. 27. 28. 29. (5) De provocata indignatione: (a) tempus: *tum cupitæ deliciæ adhuc in ipſorum ore.* v. 30. (b) modus: *adſcendit divina ira: interfecit pingves præcipuosque.* v. 31. Sequitur (6) transgreſſio nova, ex *incredulitate* profanoque *miraculorum contemtu profecta.* v. 32. cujus (7) ſubſequens pœna: *abſumit dierum in vanitate ac terrore:* v. 33. Pergit (8) ad inconſtantiam incorrigibilem: ubi (a) emendationis data occaſio: *cum interficeret ipſos:* v. 34. (b) emendatio ipſa: *quærebant Deum, convertebantur, manè indagabant:* ib. *recordabantur, Deum eſſe ſuam petram atque Redemptorem:* v. 35. *linguis ſuis ipſis blandiebantur:* v. 36. licet *cor maneret inconſtans fœderisque immemor:* v. 37. (c) Dei longanimitas comprobata: manebat *miſericors.* v. 38.

remitte-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn354076086/669
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG